



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Nicolai Cavssini Trecensis, E Societate Iesv, De Eloqventia
Sacra Et Hvmana Libri XVI**

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1634

106. Paradisus Terrestris: Ex imaginibus P. Richeomij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70090)

PARADISVS
terrestris.

Descriptio CVI.

Eximig-
nibus P. Ri-
ebomij no-
stra Latinit.
compressi.

IN voluptuosos hortos devenimus, quos si non dum videris, animo, & cogitatione efformate. Regio in primis amœna, quippe situ præcella, specie eximia, bonis opulenta, omni deliciarum genere affluens: Terra partim in planiciem expansa, partim in colliculos molliter assurgens, vernantem frugiferarum arborum copiam explicat; in ipso hortorum apice fons est eximius, qui primum argenteis aquarum vorticibus ebulliens, mox diffusus in fluviū fluviolis flexibus, atque mæandris concisus oberrat, & felicia arua perenni bus fecundat rivulis. Ad summum in quatuor salientes divisus, celeberrimos amnes efficit, qui varias terrarum plagas interfecantes, pingui ac feraci limo rigant.

Primus, opinor, Phison arenulas aureas, & illustre collucentium margaritarum decus egerit ad ripas, quas ob colonorum inopiam nemo colligit: Avidius posthac tantæ opulentiæ non ita simplex posteritas inhiabit. Cæli admodum iucunda temperies; quippe clementius renidens solis fulgor, vel minimas nebulæ maculas tempestivè discutit. Iguis cætero qui violentus in suo feriatur regno, & aëri leniter insidens caloris & luminis iucundissimam terris temperiem impertit.

Iam verò, & hæc pratorum herbecens viriditas intermicantium florum varietate picturata, & hæc arborum pubes enatis modò flosculis lascivens, præsentis, opinor, veris præbet argumentum. Cum eodem suas partes agunt reliquæ tempestates. Itaque & iam æstatis beneficio aristas molliter flavescere, & in his pomariorum delicijs fructus maturescere videas, qui carpentis inuicem manum. Ex altera parte autumnus gratam oliuitationem, & vites, diffusâ corymborum luxurie collibus insipientes, & iam præmaturis racemis vestitas, etiam ante Noëmi tempora, speciosius ostentat. Nullus hic hyemis rigor, ita vim omnem retundunt, partim clementiores solis radij, qui felicem plagam cir-

cumvestiunt, partim etiam molles fauoniorum animæ, quorum flabellis & placidissimo murmure regio tota circumquaque ventilatur. Diceret quatuor hic tempestates vna continere, vere tamen superiores partes semper obtinente. Hinc ænorum tractus densissimo frondium vestitu diffusi; quarum aliæ simplici cultu virescunt, aliæ paulatim è viriditum cæruleas luteasque, tum purpureas & irgæneas transeunt in maculas, quales in arcu cælesti cum voluptate miramur. Atque eo ipso tempore Psitraci, & quæcunque vario plumarum cultu aves emicant, ad gratissimum patium aduolantes, augent oblectationem; cum folia, & fructus, atque adeo ipsæ alites varijs colorum picturis in certamen vsque luxuriant.

Quid quòd non modò certant pulchritudine auricula: sed fractis vocalium modulis mellitissimos cantus fundunt? inter quas Iuseinia, pertinaci, ut solet, spiritu, modò in longum numeros trahit, modò summa quadam varietate flecitur, modò concisa voce distinguit. Fugerat me pene ales ille paradisiacus, quem ex palma suspensum cernitis; est tenui in primis corpusculo, versicolore plumarum amictu: in eo diuinitus ludente natura, superbiens, lutei capitis maiestatem intellitus ceruicis viror irradiat: penna mediocriter implumata; purpurascunt, reliquum corpus auro subrutilo iucundissimè flauescit.

Beatus ille cælestium ciuis, & naturæ parentis delicia; numquam appellit ad terras: ita in aëre perpetuum sibi fixit domicilium. Neque verò pedes habet, neque eorum usum desiderat; si quando enim post variam agitationem subit defatigatio, duabus pennis longiusculis se, veluti filis æneis, applicat ad arbores, & ex ipsdẽ spectabile corpus librat. Leonum, tigrum, atque elephantorum greges, quos in varia sparsos videris, omni feritate deposita placidissimos lucos oberrant, & suis alumnis blandiuntur; nec mirum, si Adamus, & Eva belluarum ingenio confisi, sine villo timore propius accedunt, & inter eandem vagantur liberius.